

Quaeres 12. *Utrum gratia, quae requiritur ad observanda praecepta naturalia propter solam honestatem moralem, debeat esse supernaturalis?*

Resp. Debet esse supernaturalis ratione principii, quia est homini indebita; non vero ratione objecti, quia hominem non dirigit ad finem supernaturalem.

CAPUT II.

De natura et divisione gratiae actualis.

Quaeres 1. *Quomodo dividitur gratia actualis?*

Resp. 1. Dividitur in excitantem et adjuvantem. . . . gratia *excitans*, est supernaturalis et indeliberatus intellectus et voluntatis motus, quo Deus nos veluti torpentes et somno sopitos ad bonum supernaturale movet et excitat, et a malo retrahit. . . . vocatur etiam *operans*, quia Deus, pium illum motum operatur in nobis sine nobis libere consentientibus. . . . vocatur etiam *praeveniens*, quia praevenit voluntatem, causando in ea boni motus initium.

Gratia *adjuvans* est concursus supernaturalis Dei, quo nobiscum per gratiam excitantem illustratis ac motis, concurrat ad omnes et singulos actus supernaturales et liberos. . . . vocatur etiam *cooperans*, quia bonam actionem nobiscum operatur, et *subsequens*, quia subsequitur et executioni applicat bonum motum jam in voluntate per gratiam excitantem inchoatum.

2. Gratia *excitans*, dividitur in sufficientem et efficacem, de quibus duplici Paragrapho agemus.

§ I. *De gratia sufficienti.*

Nota. 1. Gratia sufficiens sumi potest, 1. *genericè*, prout convenit etiam gratiae efficaci, et est, *ea quae voluntati subministrat vires pares et proportionatas*

De Gratia Christi.

effectui bono, ad quem proxime movet, et quem Deus ultimate intendit, producendo. . . . 2. *Specificè*, quatenus opponitur gratiae efficaci, diciturque *mere sufficiens*, et haec definitur: *Ea quae licet vires pares et proportionatas subministret ad ponendum effectum ad quem datur, et quem Deus ultimate intendit, illum tamen non sortitur ex sola culpa voluntatis, nolentis gratiae consentire.*

2. Alia est *proxime sufficiens*, quae dat immediatam potentiam ad executionem operis ad Deo ultimate intenti; v. g. ad executionem talis praecepti. Haec vocatur *gratia actionis. . . .* Alia est *remote sufficiens*, quae non dat equidem immediatam potentiam exequendi operis a Deo ultimate intenti, sed dat immediatam potentiam ad implorandum per orationem uberioris Dei auxilium, non conferendum a Deo nisi prius oraverit homo, et certo conferendum, si reipsa oraverit, gratiae primae obsequens. Hae vocatur *gratia orationis.*

Quaeres 1. *Quinam rejecerunt gratiam sufficientem?*

Resp. Eam rejecerunt 1. *Calvinus, Lutherus et Badius*, qui volunt sic gratiam determinare voluntatem ad actum, ut nullum libertati locum relinquant; ergo secundum eos, omnis gratia est necessitans et efficacis. 2. *Jansenius*, (quem sequitur *Quesnellus*) docet gratiam ita invicte ac insuperabiliter voluntatem humanam determinare ad unum, ut semper consensum voluntatis exprimat.

Quaeres 2. *Quotuplicem admittunt gratiam Janseniani?*

Resp. Duplicem, *primam*, quae plenum atque perfectum effectum assequitur, et ad id a Deo datur, hancque vocant efficacem et vitricem relative. . . . *Secundam*, quae efficit quendam velleitatem et complacentiam boni operis inefficacem, et ad id duntaxat a Deo datur, hancque sufficientem appellare non recusant

hodierni Janseniani, asseruntque eam conferre completam, perfectam, et expeditam ad praeceptum observandum potentiam. Verum, quod maxime notandum, nomine *potentiae*, intelligunt potentiam absolutam duntaxat, et abstractam a praesentibus subjecti circumstantiis et dispositionibus, non vero relativam, et ad illas circumstantias comparatam. Deus enim, inquit, voluntate antecedente, et a praesentibus subjecti circumstantiis abstrahente, vult per hanc parvam gratiam opus perfectum impleri; verum, consideratis illis circumstantiis, non vult, voluntate absoluta et consequente, opus perfectum per illam impleri, sed aliquod duntaxat imperfectum ac inchoatum boni operis desiderium. Ex quo

Sequitur 1. Gratiam parvam Jansenianam esse efficacem, quia, juxta illos, omnem obtinet effectum, propter quem in talibus circumstantiis a Deo datur.

Sequitur 2. Illam gratiam esse insufficientem, quia propter defectum virium est impar et improporcionata ad oppositam concupiscentiae delectationem superandam, ut ipsemet asserit Jansenius l. 2. *De gratia*, c. 17. dicens: *eam nullo modo sufficere, ut homo Dei mandatum operetur, ut Deum super omnia diligat, &c. Licet aliquid faciat, nempe velleitates quasdam excuset.*

Quaeres 3. *Utrum detur in praesenti statu naturae lapsae gratia vere et relative sufficiens, id est, quae voluntati ad opus bonum perficiendum conferat potentiam completam, expeditam, et relativam ad praesentes subjecti circumstantias, cui tamen dissensu libero resistat humana voluntas?*

Resp. affirm. Ut fides docet; nam, *Proverb. 1.* Deus dicit: *Vocavi, et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui aspicere; desperastis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis.* Ubi vocatio, extensio manuum, consilium Dei, etiam intus pulsantis, gratiam vere et relative sufficientem indicat, alias

non esset justa Dei increpatio et objurgatio; atqui illi gratiae dissensu libero resistit voluntas humana, *renuistis, desperastis, &c.* ergo &c. . . . *Matth. 11.* Christus exprobrat Chorozaitis, quod non egissent poenitentiam ad aspectum miraculorum a se patratorem: *Vae tibi, Chorozain, vae tibi, Bethsaida, &c.* Ergo revera cum gratia ipsis collata poenitentiam agere potuerunt, non tantum remote, et absolute, sed proxime et relative; ergo, &c.

Conc. Senon. p. 1. in decretis fidei, c. 15. dicit: *Eo extendimus (liberum arbitrium) ut voluntas humana misericordiae praeventientis auxilio suffulta, et interiori quodam et occulto secretiori afflatu contacta, sese converterat ad Deum.* Postea addit: *Non tale est hujusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit: quoties enim Dominus voluit congregare filios Jerusalem. . . . et noluerunt, &c.*

Hinc merito damnata est ut haeretica haec secunda Jansenii propositio: *Interiori gratiae, in statu naturae lapsae, nunquam resistitur.*

Objicies 1. *Rom. 9.* dicitur: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Ergo non est in potestate vocati, vocationi obtemperare, vel non obtemperare.

Resp. Dist. ant. Non est volentis, neque currentis, per solas naturae vires, *conced.* per gratiam, *subdist.* non est volentis, primario et principaliter, *conced.* secundario, quasi, homo nihil divinae gratiae cooperaretur, *nego.* Hoc unum vult Apostolus, bonum opus magis esse a Deo per gratiam, quam ab homine, qui absque gratia nec conari, nec consentire potest. Unde ait Apostolus: *Non ego, sed gratia Dei mecum;* id est, ait. D. August. lib. de gratia, cap. 5. *Non solus, sed gratia Dei mecum; ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo.*

Inst. Nemo potest se discernere in negotio salutis,

juxta illud 1. Cor. 4. *Quis te discernit? quid habes quod non accepisti?* Atqui si duobus hominibus detur gratia sufficiens, cui unus obtemperet, alter reluctetur, qui obtemperaverit, se discernit ab eo qui reluctatur; ergo non datur talis gratia.

Resp. Dist. maj. Nemo potest se discernere, per proprias vires, *conc.* quatenus per gratiam motus et adjutus, *nego.* Neque enim qui sic per gratiam, qua excitatur et juvatur, se discernit, contradicit Apostolo prohibenti solum ne homo gloriatur de bono opere, quasi principium illius efficiens non acceperit a Deo. Ita Div. August. *lib. de spiritu et litt. cap. 33.*

Objicies 2. Gratia sufficiens, cui voluntas resistat, est gratia possibilitatis pelagiana, quam confutavit D. August. et damnavit Ecclesia; ergo, &c.

Resp. Nego ant. Nam Pelagius per gratiam possibilitatis intelligebat liberum arbitrium, quod docebat per se solum valere ad quodlibet opus salutare simpliciter: equidem libero arbitrio adjunxit gratiam, non quidem ad posse simpliciter, sed tantum ad facilius posse, quae gratia nihil aliud, secundum ipsum erat, quam gratia exterior, lex nimirum, doctrina, et exempla Christi; in quo, toto coelo differt a nobis Catholicis.

Inst 1. Pelagius admittebat posse bene agere esse a Deo; ergo.

Resp. Dist. Esse a Deo ut auctore naturae, *conc.* ut subministrante gratiam interiori naturae superadditam, *nego.* Itaque Pelagius naturam et liberum arbitrium vocabat gratiam possibilitatis, legem vero et doctrinam vocabat adjutorium possibilitatis naturalis.

Inst. 2. Pelagius deinceps possibilitati naturali subjunxit adjutorium Dei actuale; ergo.

Resp. Dist. ant. Subjunxit auxilium Dei actuale, quod esset lex, vel doctrina, vel revelatio, vel exemplum, *conc.* quod esset subministratio virtutis interioris, *nego.*

§. II. De gratia efficaci?

Quaeres 1. *Utrum detur gratia efficax?*

Resp. De fide est dari gratiam efficacem qua Deus voluntates nostras certo et infallibiliter flectere potest quocumque voluerit. *Prov. 21. Cor Regis in manu Domini, et quocumque voluerit, inclinabit illud.*

Quaeres 2. *Quotuplici modo sumitur gratia efficax, prout a gratia mere sufficienti distinguitur.*

Resp. Sumitur in actu primo et secundo.

Gratiae efficacia in actu 1. stricte, est virtus gratiae praeventis, ut certo et infallibiliter illatura effectum, seu consensum voluntatis. De hac sola hic agitur.

Gratiae efficacia, in actu 2. est eadem virtus gratiae ut conjuncta cum effectu, quia illius vi elicited est. Haec includit gratiam adjuvantem, et cooperationem voluntatis a gratia motae.

Quaeres 2. *In quo consistit erroneum systema Calvini circa efficaciam gratiae?*

Resp. Consistit in hoc, quod docuerit gratiam esse vere ac physice necessitantem, ita ut non possit ipsi voluntas humana refragari. Quod systema damnavit Conc. Trid. sess. 6. can. 4.

Quaeres 3. *Unde Jansenius repetat gratiae efficaciam?*

Resp. Ipsam repetit ex ipsius gratiae indeliberata delectatione, quae fit gradibus superior opposita concupiscentiae delectatione item indeliberata, et illius relative per gradus victricis. Tota ergo vis delectationis relativa est, ita ut si major fuerit vis gratiae, quam vis concupiscentiae, necesse sit voluntatem bene operari: si econtra major fuerit vis concupiscentiae, necesse sit voluntatem male operari; ergo, juxta ipsum, efficacia gratiae repeti debet ex delectatione voluntatem ad unum ineluctabiliter determinante, quod est error Calvini.

Quaeres 4. *Utrum illud Jansenii systema sit haereticum?*

Resp. affirm. Nam 1. haereticum est asserere hominem non posse dissentire motioni Dei illum ad bonum excitantis: non posse resistere gratiae divinae tum cum ab ipsa movetur et excitatur ad bonum, prout definiunt Concilia Trid. et Senonense, dicens: *Neque enim tanta gratiae necessitas libero praejudicat arbitrio; nec enim tale est Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit.* Atqui illud asserit, qui gratiae efficaciam repetit ex delectatione superiori relative victrice; ergo.

2. Illud systema est haereticum, ex quo, per connexionem evidentem et necessario, profluunt conclusiones haereticae; atqui ex systemate delectationis superioris relative victricis, necessario et per connexionem evidentem, profluunt quinque famosae propositiones Jansenii haereticae, cujus sunt conclusiones, ut probamus in nostra Theologia; ergo.

Objicies 1. Systema delectationis praevenientis relative superioris et per gradus victricis, est ipsissimum D. Augustini systema, qui in *Epist. ad Galat.* ait: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est.* Ergo.

Resp. Nego ant. Ad probationem, *dist.* quod amplius nos delectat, delectatione deliberata et electiva, *conc.* delectatione indeliberata, et consensum voluntatis praeveniente, *nego.* Duplex itaque est delectatio: alia *indeliberata*, quae est suavis quaedam propensio versus bonum honestum, vel sensibile, excitata in nobis sine nobis. Alia *deliberata*, quae rationis advertentiam et voluntatis consensum sequitur, et est nisus voluntatis versus bonum, sive honestum, sive delectabile. Porro Div. August. non loquitur hic de delectatione indeliberata: ipse enim, *lib. 8. Confess. c. 8.* de ipso dicit: *Et non faciebam id quod incompa-*

rabili affectu mihi magis placebat. Ergo loquitur de delectatione deliberata, subsequente liberam voluntatis determinationem. Similiter per ista verba: *Secundum id operemur necesse est:* intelligit necessitatem consequentem, non antecedentem, ita ut illius effati hic sit sensus: *Si aliquid absolute et efficaciter amplius diligamus, necessario operamur secundum illud.*

Inst. Amor deliberatus non est delectatio, sed fructus delectationis praeviae; ergo D. August. per has voces: *Quod amplius delectat, &c.* non intellexit amorem deliberatum.

Resp. Nego ant. Nam est simul fructus delectationis et delectatio, ac D. Aug. hic per *tò delectare*, intelligit amorem deliberatum, ad quem significandum illo verbo multoties usus est: sic *serm. 5. De verbis Apostoli*, ait: *Concupiscentia mihi narrat delectationes, sed condelector legi Dei*, id est, magis amo.

Objicies 2. In conflictu duplicis delectationis praeviae et indeliberatae, minor non potest superare majorem; ergo.

Resp. Nego ant. Ait enim D. Thom. 3. p. q. 70. art. 4. *Quod minima gratia possit resistere cuilibet concupiscentiae, ac vitare omne peccatum mortale.*

Objicies 3. D. Aug. *lib. De corrept. et grat. c. 12.* loquens de gratia huic statui necessaria, ait: *Subventum est igitur infirmitati humanae, ut divina gratia indeclinabiliter et inseparabiliter ageretur.* Ergo nunc voluntas non potest gratiae resistere.

Resp. Nego conseq. Nam verbum *ageretur*, sumitur pro, *corroboraretur*, unde voces, *indeclinabiliter, inseparabiliter*, non cadunt in ipsam voluntatem, quasi a gratia ita moveretur, ut ei resistere non posset, sed cadunt in ipsam concupiscentiam et adversitates hujus vitae, a quibus voluntas, gratia divina corroborata, superari non potest, si gratiae firmiter obtemperare voluerit: quaere D. Aug. addit: *Et ideo, quamvis*

infirmi, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur.

Inst. D. Aug. lib. De peccat. meritis, c. 19. gratiam vocat victricem delectationem; atqui non est victrix nisi quia oppositam concupiscentiam gradibus superat; ergo.

Resp. Nego min. Gratia enim dicitur, *victrix*, quia facit ut voluntas ipsi libere cooperans, vincat oppositam concupiscentiam; non autem ideo dicitur *victrix*, quod propter sui intensionem vincat voluntatem, eamque resistere impotentem faciat, nam *lib. De spiritu et litt. c. 31.* dicit: *Consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriae voluntatis est.*

CAPUT III.

De distributione gratiae sufficientis.

Quaeres 1. **U**trum omnibus justis, urgente praeepto, detur a Deo gratia vere et relative sufficiens ad servanda omnia praeepta?

Resp. affirm. Nam 1. *Cor. 10* de omnibus justis dicitur: *Fidelis est Deus, qui non patitur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, id est, auxilium, ut possitis sustinere.* Ergo.

1. *Conc. Trid.* definit: *Si quis dixerit, Dei praeepta homini etiam justificato et sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Cujus definitionis rationem reddit, *cap. 11.* his *D. Augustinus* verbis: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis.* Quibus verbis aperte significatur hominem habere gratiam, vel proxime, vel remote sufficientem ad praeepta implenda.

Hinc jure merito damnata est ut haeretica haec *propositione Jansenii*: *Aliqua Dei praeepta hominibus justis vo-*

lentibus et conantibus, secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

Objicies. *Div. Petrus* erat justus quando negavit Christum; atqui tunc ipsi defuit gratia vere et relative sufficiens, ut possit Christum non negare; ergo &c.

Resp. 1. Nego maj. Nam quando *Divus Petrus* Christum exterius negavit, jam interno praesumptionis peccato exciderat a sua justitia ut docet *Div. Augustinus* *serm. 285. Interrogatus (Petrus) in corde suo, praesumpserat se pro eo etiam moriturum, viribus suis hoc tribuerat.*

Resp. 2. Dist. min. Ipsi defuit gratia proxime sufficiens, *conced.* remote sufficiens, *nego.* Habebat enim gratiam orationis et humilitatis, qua si bene usus fuisset, obtinisset gratiam proxime sufficientem, per quam tentationi restitisset, nec Christum negasset. Ita *D. Augustinus* *lib. De corrept. et grat. cap. 9. Dixerat in abundantia sua: animam meam pro te ponam: Sibi festinando tribuens, quod ei fuerat postea a Domino largiendum.*

Quaeres 2. *Utrum fidelibus peccatoribus non obduratis detur gratia vere sufficiens, qua possunt peccata vitare, et a peccatis resipiscere?*

Resp. Datur pro loco et tempore; nam 1. *Deus* vult vere et sincere, ut peccatores, saltem non obdurati, non pereant, sed convertantur, *Ezech. 33. Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur a via sua, et vivat;* atqui non possunt converti absque gratia sufficienti; ergo, &c. 2. *Div. Augustinus* *lib. 1. Retract. cap. 22.* ait. *In potestate hominis est mutare voluntatem in melius, sed ea potestas nulla est, nisi a Deo detur.* Ergo.

Quaeres 3. *Utrum peccatoribus induratis detur pro loco et tempore gratia vere sufficiens?*

Resp. Datur: nam 1. *S. Stephanus, Act. 7. Ju-*

daeos obduratos objurgat quod Spiritui Sancto eos ad conversionem moventi, semper resisterent: *Dura ceruice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis.* 2. D. August. in *Psalm.* 6. ait: *Et est caecitas mentis: in eam quisquis datus fuerit, ab interiori luce secluditur, sed nondum penitus, cum in hac vita est.* 3. S. Prosper in respons. ad object. Vincentianas: *Nemini Deus correptionis admittit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoiat.* 4. Demum indurati peccant imputabiliter; ergo habent gratiam, saltem remote sufficientem.

Objicies. 1. Joan. 12. de induratis Judaeis dicitur: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excaecavit oculos eorum, et induravit cor eorum, ut non videant oculis, et intelligant corde, et sanem eos;* ergo.

Resp. Dist. ant. Non poterant credere, impotentia consequente et voluntaria, *conc.* antecedente et involuntaria, orta ex subtractione omnis omnino gratiae, *nego.* Nam, *quare non poterant, credere,* ait Div. August. Tract. 53. in Joan. *Si a me quaeratur, cito respondeo, quia volebant: malam quippe earum voluntatem praevidebat Deus, et per Prophetam praenuntiavit.*

Objicies 2. D. August. *lib. 1. ad Simplic. quaest.* 1. dicit: *Obduratio Dei, est nolle misereri;* atqui illi, cujus non vult Deus misereri, non confert gratiam; ergo.

Resp. Dist. min. Non confert gratiam specialem, qua, ut ait ibidem, *Cujus miseretur, sic eum vocat quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat,* *conc.* nullam confert gratiam, *nego.* Contrarium enim supra asseruit, in *Psalm.* 6.

Inst. D. August. *Epist.* 107 ad Vitalem, ait: *Scimus gratia non omnibus hominibus dari.* Ergo agnovit gratiam sufficientem non omnibus concedi.

Resp. Nego conseq. Neque enim ibi D. Doctor loquitur de gratia actuali, sed de gratia justificationis per Baptismum acceptae.

Quaeres 4. *Utrum infidelibus positivis, iis nimirum qui Evangelium audire recusarunt, dentur pro loco et tempore gratiae sufficientes, quibus remote saltem et mediate ad fidem pervenire possint?*

Resp. affirm. Nam 1. Christus, Joann. 16. ait: *Cum venerit ille, Spiritus Sanctus, arguet mundum de peccato. . . . de peccato quidem, quia non crediderunt in me.* Atqui frustra arguerentur qui Evangelium respuerunt, si ipsis defuisset gratia interior, sine qua non potuerunt credere, nam, ut ait D. Aug. *lib. 15. De civit. Dei. cap. 6. Nisi Deus interiore gratia mentem regat atque agat, nihil prodest homini omnis praedicatio veritatis.*

Quaeres 5. *Utrum infidelibus negativis, iis nempe qui Evangelii praedicationem non audierunt, dentur gratiae sufficientes?*

Resp. affirm. Nam Scriptura, Sap. 12, dicit: *O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus: ideoque eos qui exerrant, id est Ethnicos, partim corripis: et de quibus peccant, admones et alloqueris, ut, relicta malitia, credant in te, Domine.* Atqui eos non admonet peccatorum, nec eos alloquitur, nisi per gratiam interioriorem; ergo. . . . Ratio a priori est quod Deus omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire velit, voluntate vera et sincera, ex qua profluunt in omnes gratiae sufficientes; ergo.

Objicies. Fides est prima gratia; atqui infideles non habent fidem; ergo.

Resp. Nego maj. Si nomine fidei intelligatur fides perfecta et christiana, id est, assensus quem intellectus praebet revelatis: scilicet assensum illum praecedunt pia cogitatio de credendo, sancta voluntatis motio erga revelata, quae sunt fides inchoata, quae non

potest haberi sine gratia. Hinc merito damnata est haec Quesnelli propositio: *Fides est prima gratia et fons omnium aliarum.*

Inst. 1. D. August. Tract. 3. in Joann. ait: Quam gratiam primo accepimus? fidem. Ergo.

Resp. Dist. conseq. Fides est prima gratia, comparate ad gloriam, *conc. absolute, nego.* Hic enim D. August. comparat fidem cum gloria, et docet fidem, qua promerita est vita aeterna, esse ipsa vita aeterna priorem.

Inst. 2. D. August. lib. De gestis Pelagii, cap. 14. ait: Fides initium est, unde bona opera incipiunt; ergo

Resp. D. August. ibi per fidem non intelligit fidem perfectam et Christianam, qua creditur explicite in Christum; sed fidem imperfectam et inchoatam, qua creditur in Deum quomodocumque, non tamen sine aliquo supernaturali lumine; qualis fuit fides in Cornelio. Fidem imperfectam D. August. comparat cum conceptione; perfectam vero cum nativitate, et addit: Non tamen solum concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniantur aeternam.

Inst. 3. Actor. 16. Paulus et Thimotheus relati sunt a Spiritu Sancto loqui Verbum Dei in Asia; ergo Asiaticis Deus denegavit auxilium fidei sive inchoatae, sive perfectae.

Resp. Nego. conseq. Quoad fidem imperfectam, haec enim haberi potest ante praedicationem Evangelii, ut patet exemplo Cornelii, cujus orationes et elemosynae meritum habuere, antequam ipsi Evangelium annuntiasset D. Petrus; ergo jam in ipso erat inspiratio et inchoatio fidei, ut docet D. August. dicens: *Nec tamen sine aliqua fide donabat et orabat.*

Objicies. 2. Si infidelibus negativis dentur gratiae sufficientes, quibus ad fidem adduci possent si illis bene uterentur, ignorantia mysteriorum fidei, qua labo-

rant, erit vincibilis et culpabilis, utpote voluntaria in causa; consequens est falsum et damnatum in Bajo; ergo.

Resp. Nego seq. maj. et ejus probationem: nam ut aliquid sit voluntarium in causa, non sufficit ut sequatur ex illa causa, sed insuper requiritur, ut cognoscatur, aut cognosci possit sequi ex illa causa; atqui infideles negativi, nec cognoscunt, nec cognoscere possunt ex transgressione legis naturalis sequi infidelitatem, cum inter utrumque non sit necessaria connexio; ergo, &c.

Quaeres 6. Utrum iis infantibus, quibus, sive in lucem editis, sive in utero materno, absque ulla parentum aut aliorum culpa decedentibus, nulla humana industria Baptismus applicari potest, Deus de remediis salutis sufficienter, quantum est ex se providerit?

Resp. affirm. Nam 1. Deus illos infantes vult sincere salvos fieri, *nunquid parvuli homines non sunt, ut non pertineant ad id, quod dictum est, omnes homines?* ait D. August. *lib. 4. contra Julian. cap. 8. expendens hanc Apostoli sententiam: Omnes homines vult salvos fieri. 2. Deus Baptismum instituit ad illorum infantium salutem, et iis per se facile applicari potest, licet propter aliquod impedimentum interveniens illis applicari non possit.*

Objicies. D. August. lib. De dono perseo. cap. 12. ait: Plerumque enim festinantibus et paratis ministris, ut Baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente, non datur; ergo Deus aliquibus parvulis non vult applicari remedium salutis.

Resp. Dist. conseq. Non vult, voluntate efficaci consequente praevisionem obstaculorum non tollendorum, nempe concursum causarum secundarum, in quo mors parvuli naturaliter et sine miraculo vitari nequit, *conc. voluntate antecedente et conditionata, nego.* Deus itaque, cum sit provisor universalis omnium causarum, permittit illas concursum suum naturalem servare,

nec, ut subveniatur tali puero, tenetur per miraculum, aut turbare naturalem rerum ordinem, aut puerum in vitam conservare plusquam exigit ordo naturalis.

DISSERTATIO II.

De gratia habituali.

Quaeres 1. **Q**uid sit gratia habitualis?

Resp. Est, donum Dei supernaturale, homini intrinsece et permanentiter inhaerens, quo redditur formaliter sanctus, Deo gratus, filius Dei adoptivus, et haeres vitae aeternae.

Dicitur 1. *Donum supernaturale*, id est, naturae vires superans.

Dicitur 2. *Intrinsece inhaerens*, quia infunditur animae, eamque intrinsece informat, et reddit formaliter sanctam, juxta illud 1. Corinth. 3. *Nescitis quia templum Dei estis vos, et Spiritus Dei habitat in vobis.* Et illud 1. Joan. 3. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.* Ergo gratia sanctificans habitat et manet in homine justo, qui consequenter fit sanctus per donum internum animae ejus inhaerens.

Ergo, haeretica est doctrina Calvinii docentis hominem non esse justum per interiorem justitiam, sed duntaxat per extrinsecam imputationem justitiae Christi, qua ejus obteguntur peccata, ita ut gratia sanctificans sit ipsamet justitia Christi per fidem apprehensa et nobis imputata, non quidem per fidem qua simpliciter credimus, sed qua firmiter confidimus in promissionibus divinis, ita ut apud eos fides nihil sit aliud, quam certa fiducia, qua, veluti manu, apprehendimus justitiam Christi, tanquam vestem, qua nos operimus, juxta illud Rom. 13. *Induimini Dominum Jesum.*

Objicies. Christus, ex Apost. 1. Cor. 1. *Factus*

est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio; ergo justus efficimur per justitiam Christi nobis imputatam.

Resp. Dist. ant. Factus est nobis justitia, &c. efficienter et meritorie, *conc.* formaliter, *nego.* Hic enim per metonymiam, sumitur causa pro effectu: unde Concil. Trident. *sess.* 6. *cap.* 7. exponens causas justificationis, ait: *Unica formalis causa, justificationis, est justitia Dei, non qua ipso justus est, sed qua nos justos facit.* Et can. 11. *Si quis dixerit homines justificari, vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhereat: aut etiam gratiam qua justificamur esse tantum favorem Dei, anathema sit.*

Dicitur 3. *Permanentiter.* Quia confertur per modum habitus stabilis et permanentis, ut patet exemplo parvulorum, qui per Baptismum sunt permanentiter justus, nec capaces sunt ullius actus.

Dicitur 4. *Quo redditur filius Dei adoptivus.* Quia infusio gratiae habitualis habet speciem divinae cujusdam generationis, quae nos efficit divinae consortes naturae. 2. Petri. 1.

Dicitur 5. *Haeres vitae aeternae; Nam Roman. 8. Si filii, et haeredes: haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi.*

Quaeres 2. *Utrum gratia habitualis distinguatur realiter a charitate?*

Resp. Affirmant Thomistae; probabilius negant Scotistae, quia in Scripturis omnes effectus gratiae habitualis tribuuntur charitati.

Quaeres 3. *Quot sint effectus gratiae habitualis?*

Resp. Sunt duo, justificatio, nimirum, et meritum.

Quaeres 4. *Quid sit justificatio?*

Resp. Definitur a Concil. Trid. *Sess.* 6. *cap.* 4. *Translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius pri-*